

2. Sed ponantur initio Cartesii verba: art. 27. *Definitio passionum animæ.* Postquã sic consideratũ fuit in quo passiones animæ differant ab omnibus aliis ejus cogitationibus, mihi videtur eas in genere posse definiiri, Perceptiones, aut sensus, aut commotiones animæ, quæ ad eam speciatim referuntur, quæq; producuntur, conservantur & corroborantur per aliquẽ motũ spirituũ.

3 Art. 28. *Explicatio primæ partis hujus definitionis.* Possunt nominari *Perceptiones*, cum hoc vocabulum usurpatur generalius ad significandas omnes cogitationes quæ non sunt actiones animæ seu volitiones: verũ non cùm adhibetur demum ad significandas notiones evidentes, nam experientia docet eos qui magis à Passionibus suis agitantur, non melius illas nosse quàm alii suas, easque esse ex numero perceptionum quas arctum foedus quod inter animam & corpus est reddit confusas & obscuras. Possunt quoque vocari *sensus* sive sensationes, quia in anima recipiuntur eodem modo quo objecta sensuum externorum, nec aliter ab ea cognoscuntur. Sed adhuc melius dici queunt *commotiones* animæ, non solum quia hoc nomen potest  
tribui